pernas, & omnes ordines Beatorum, De Sanctorum A autem exemplis: *Ecce*, ait Gregorius *a*, *ut immolaret jubilationis hoſtiam, circuibat: quia niſi animabus huc illucque ad bonorum vitam exquirendam mitteret, ipſa uſq; ad jubilationis ſacrificium non perveniret.* Ambroſius *b* Ansbertus, Quia qui locum circuit in eum non intrat, explicat ſimul circuitionem Jerichio *c*, & de utraque dicit denotare devitationem improborum: tunc hoſtiam jubilationis Deo acceptabilem offerri. Auguſtin. *d* ſumit, ac ſibimet applicat circuitionem memoriæ præteritorum, circuituum erroris, ut ſic immolet hoſtiam immolationis.

a Hom. 17. in Ezech. b In c. 1. Ap. c Joſue 6. 3. & ſeqq. d 4. Confeſ. cap. 4.

Immolavi tabernaculo ejus hoſtiam vociferationis. Regii libri, & Complutenſes, *laudis & jubilationis*, αἰνέσεως καὶ ἀλαλαγμοῦ. Hieron. *Hoſtias jubili.* Auguſtin, Gregorius *e*, Ambroſius Ansbertus *f*, Caſſiodorus, Hilarius *g*, Pſalterium Romanum, & Ambroſianum, *Hoſtiam jubilationis.* Chald. Sacrificia acceptabilia cum jubilatione נכסק לרעוא כיכבא *nichſin lerabbava hejabbaua*, Hebr. זִבְחֵי תְרוּעָה *ziuche therubhah.* Significat תרועה *thcrubhah* ſonitum, & clangorem tubæ B cum jubilo. Græci emendati codices habent ſolùm ἀλαλαγμόν, ſed Regii, Complutenſes, ut dixi, & alii præter αἰνέσεω, nempè ἔθυσα ἐν τῇ σκηνῇ αὐτοῦ θυσίαν αἰνέσεως καὶ ἀλαλαγμοῦ, *immolavi in tabernaculo ejus hoſtiam laudis & vociferationis.* In Pſalmo XXXII. *h* repetitur Hebræa vox & Græca ἀλαλαγμῷ. *Benè pſallite ei in vociferatione*: Καλῶς ψάλατε αὐτῷ ἐν ἀλαλαγμῷ בתרועה חיטיבו נגן *hetibu nagghen bithruhhah.* Hieron. *Diligenter pſallite ei in jubilo.* Symm. μετὰ σημασίας cum ſignificatione & clangore. Legit hoc loco Euthym. αἰνέσω, & ἀλαλαγμόν, aitque hoſtiam *laudis* eſſe, quòd protectus fuerit, *vociferationis*, ob victoriam de inimicis, quia ἀλαλαγμός *clamor* eſt adverſus inimicos, quem Latini *barritum*, & *ululatum* i, & *jubilationem* etiam nominant. Tandem nihilominus hunc modò ſumi tradit pro *cantu* quodam triumphali unà cum ſacrificio in gratiarum actionem pro auxilio, & victoria. Meminit & Theodoretus lectionis, in qua utraque dictio illa Græca eſt: ἀλαλαγμόν autem pariter docet bellicam vocem eſſe ab audacioribus contra formidoloſos editam: & cum iſta comparari hymnorum cantilenam, quam læti uſurpamus, & exultantes, juxta illud *k*: *Æquo animo eſt quis? pſallat.* Εὐθυμεῖ τις; ψαλλέτω. Eadem docet in Pſalmum trigeſimum ſecundum, & Baſilius hoc loco. Onomatopœicum nomen eſt ἀλαλαγμός ab ἀλαλά, quam inarticulatam vocem ante pugnam edunt milites vociferando, quemadmodum eſt turbarum militarium *Tarantara.*

e Supr. d. f Supra. g in Pſ. 65. h verſ. 3. i Cæſar. 5. de Bello Gal. k Jac. 5. 13.

Ἀλαλαγμός unde ortũ & quid ſignificet.

At l *tuba terribili ſonitu taratantara dixit*, de qua voces formandi ratione diſſerit eruditè Hieron. *m* Columna. Appellat Euſtathius *n* vocem πολέμου *belli*, & ἐγχέων προοίμιον, *telorum proœmium.* Talis vulgaris ille clamor, *la, la, la*, &c, *Allarme, allarme* in primo conflictu, vel cum aliquos ad pugnam excitant.

l Ennius 2. Anal. m in eundem. n Illiad. ξ

Propoſito meliùs congruit ſignificatio, quam tradit Suidas, ut ἀλαλά ſit etiam idem quod ἰὴ παιάν, acclamatio quædam chori Generaliter quemvis clamorem lætum ἀλαλαγμός poteſt ſignificare, ſicut & ἀλαλάζειν eo modo clamare, atque etiam, teſte Suida, κροτεῖν *plaudere.* *Tinnire* apud Paulum *o* hoc verbum interpres expoſuit: *Cymbalum tinniens* κύμβαλον ἀλαλάζον. Lege quæ de his ipſis vocibus, ac de jubilo diſſeruntur inferiùs Pſalmo XXXII. *p*, & XLII. *q*. Hoſtiis majoribus cantica adhibebantur (quamvis hoc loco Apollinarius videatur ſolum ſuffimentum admittere θύος) nec non clangor turbarum, & aliorum præterea inſtrumentorum ſonus muſicorum cum jubilo, qui ex lætitia quædam ineffabili naſcitur, & nec taceri, aut etiam verbis exprimi ſatis poteſt, ut notant Hieron. & Auguſt. Teſtimonia ex hiſtoria ſacra ſunt de ſolemni ſacrificio non pauca *r*: de Romanorum ſacrificiis meminit Joannes *ſ* Roſinus.

o 1. Cor. 13. 1. p verſ. 3. q verſ. 2. Hoſtiis majoribus cantica adhiberi ſolita & alia. r Num. 10. 10. c. 29. 1. & 2. Par. 15. 24. ſ 3. ant. Rom. c. 33. t Ovid. 6. Faſt. u Virgil. 2. Georg.

Cantabat t fanis, cantabat tibia ludis (Et)
Inflavit u *cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras.*

Lege in quæſtionibus Romanis Plutarchum, & in 9. hiſtoriæ Livium, narrantes quo modò ſecedentibus ex urbe Tibur tibicinibus nemo in urbe fuit qui ſacrificiis præcineret.

Hinc pro cantu Eccleſiaſtico petere argumentum licet, de quo in Annalibus maximè Tomo primo Baronius *x*. Cave autem vociferationem audiens, inconditas preces probes, quas Cyprianus *y* meritò damnat: & in caput tertium ad Coloſſenſes, ac in quintum ad Epheſios Chryſoſtomus, Theodoretus, Hieron. perpendentes, quod Paulus præcipit, ut cantemus in corde, & in gratia. Ad hoc vitandum incommodum Athanaſius, & ad nimis elaboratos cavendos centus Hæreticorum, quos magnoperè inſectatum Theodoretus *z* meminit, ac ex eodemmet conſtat Athanaſio, *a* tam modico flexu vocis faciebat ſonare lectorem, ut ſcribit, atque ſibi placere teſtatur *b* Auguſtinus *c*, ut pronuntianti vicinior eſſet, quàm canenti. Similis cauſſa Laodiceni Patres Concilii perpulit cavere, ne præter canonicos pſaltes quivis alius in Eccleſia pſalleret. Eodem ſpectat Canon Concilii Aquiſgranenſis *d* in cap. 117. citatus à me in Præfatione *e*. Exempla reperies apud Cæſarium *f* quàm Deo diſpliceat inconditus, atque incompoſitus cantus.

Pro cantu Eccleſiaſt. argumentũ unde peti poſſet. Inconditæ preces vitandæ Cautio adhibita circa cantus. x An. Chriſti 60. y in Or. Dominicam. z 4. de Fabulis Hæretico. a Or. 2. contra Arianos. b 10. confeſ. cap. 33. c Can. 15. d c. 137. e cap 14. Inconditus atq; incompoſitus cantus Deo diſplicens. f 4. mirac. c. 9. lib. 5. c. 5.

Verſ. 7.) Exaudi Domine vocem meam, qua clamavi ad te: miſerere mei, & exaudi me.

REvertitur ad id, quod ante dixerat, ſe adeò enixè concupiſcere, atque procurare. *Unam petii à Domino, hanc requiram*, &c. In hac una petitione poſtulat exaudiri, ægrè ferens exilium, ac dilationem: tum etiam illa de cauſſa perſecutiones iniquas, mereri hæc omnia, vel certè provocare poſſe commiſerationem divinam. Idcircò velut ſuper ἐπανόρθωσιν, & correctionem, quam ſubnotat Heſychius, poſtquàm dixiſſet, *Exaudi*, adjungit mox, *miſerere*: tum denuò repetens, *exaudi*. *Non enim debitor eſt Deus*, inquit Heſychius, *nos exaudire, quoniam nec nos audimus eum, dum iniquo agimus.* Nondum David peccaverat, quum hoc in perſecutione Saul petebat. Quamquam quivis juſtus, C dum quid petit, ut innuit etiam Didymus; non tam exactam omninò illam juſtitiam, quàm Dei miſericordiam poteſt poſtulare. In re petita ad meritum comparata condignitas poteſt eſſe: prorſus rigoroſa juſtitia non poteſt; quia ſponte inivit Deus cum creatura pactum. Verùm de hoc aliàs.

Exaudi.) Hebr. *Audi* שמע *ſchemahh*, Simplicioris notionis verbum, & auditionis.

Vocem meam, qua clamavi ad te.) Hieron. *Vocem meam invocantis*, vel ex Hebræo ad verbum קולי אקרא *Koliecra, vocem meam*, (ſupple, qua) *clamabo.* Additum eſt (*ad te.*)

Exaudi me.) Hebr. ענני *hhaneni*, magis denotat exauditionem, quando concedendo fit, & indulgendo: ſive re, factiſque reſpondendo, nam ענה *hhanah* propriè *reſpondere* eſt; licèt habeat aliàs non paucas ſignificationes. Hugo Cardinalis obſervat in hoc verſu conditiones orationis novem, ut digna, vocalis, rationalis, propria, devota, recta, humilis, neceſſaria, continua ſit. Indicio; tu judicabis.

Hugonis Cardinalis hoc verſu novem orationis conditionum obſervatio.

D ---

Verſ. 8.) Tibi dixit cor meum exquiſivit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.

VIdeor mihi benè petere, quia te unum ſincero, & intimo corde cogito, & quæro, non labiorum ſolo ſtrepitu: aveo maximè ſancta reviſere: volo de te, deque rebus tuis agere: cupio me totum huic uni curæ, ac ſtudio dedere: tibi placere geſtio; ambio favorem tuum, donec tandem detur te coram, & clarè facie ad faciem contemplari. Urgeor vehementer à corde ipſo, animoque: hoc ſuggerit mens mihi: hoc pectus audet: non poſſum, quin recurram ad te, & requiram te. Si compoſero victoriæ, amabo te impenſiùs, eriſq; mihi in Deum *g*: immò quia ſemper te adhùc dilexi, non debeo, à te deſeri.

g Gen. 28. 21.

Ex enarratoribus conflatur hìc ſenſus, nominatimq; de vi-

de viſione divina explicant Origenes, Euſeb. Didymus: Bernard. *a* autem de contemplatione, deſiderioq; illius, quod in hac vita habemus, prætereaque Aug. *b*. Porrò æſtuantis amore magno, ac Deo vacandi deſiderio, fruendique hæc oratio eſt, ac proinde interrupta, præciſa, mutila, inabſoluta præ ſingultu, ac ſuſpirio.

a Serm. 4. de Aſcenſ. b Solil. c. 36.

Tibi dixit cor meum.) Locutus ſum ex corde: *Ante te deſiderium meum* c: *Clamavi in toto corde meo, Exaudi me Domine* d: *non in labiis doloſis* e: *non corde longè à te* f: non *in angulis platearum* g, ut viderer ab hominibus: ſed clauſo oſtio, & conſcio te uno. *Invenit ſervus tuus cor ſuum, ut oraret te oratione hac* h, nimirùm conſideratè id faciens, & confidenter, curando ne cor aliò diſtraheretur, nec alibi auxilium quæreret, ut exponit Gloſſa ex Hieron. *Cor quandoque derelinquit nos* i: *invenitur, quum ad cœleſtia dirigimus*, inquit Gregorius *k*. Poſtremò illud: *Tibi dixit cor meum*, nonnullis, ut Campenſi videtur innuere, quòd ſit alios hortatus ex animo, ut ſtuderent comparare ſibi favorem Dei. Sic illud *tibi*, erit idem quod, *propter te*: & *dixit*, importabit habitum ſermonem ad alios. Idem eſt quod Clarius affert; *De te dixit cor meum; Inquirite faciem meam.* Hoc eſt, cor meum cogitat quid nobis mandes per eos, quos ad nos mittis: & reſpondes, *Inquirite faciem meam.* At melior ſenſus primus. Sed obſerva, quum dicit ſimpliciter *tibi*, abſque ullo epitheto, indicare flammam amoris, qui non ſinat in his cogitationem hærere; ſed impetu rapiat ad amatum. Colloquium cum Deo eſt oratio, loquitur enim & ipſe in nobis *l*, & ad cor *m*. Symmachus hoc loco: Σοὶ προσελάλει, *Te alloquebatur.*

c Pſ. 37. 10. d Pſ. 118. 145. e Pſ. 16. 1. f Iſ. 29. 13. Matth. 15. 8. Marc. 7. 6. h 2 Reg. 7. 27. i Pſ. 39. 13. k in 1. Reg. l. 4. c. 9. Colloquiũ cum Deo eſt oratio, l Pſ. 84. m Oſ. 2. 14.

Exquiſivit te facies mea.) Hieron. *Quæſivit vultus meus.* In emendatis Græcis ἐξεζήτησα τὸ πρόσωπόν σου: *Quæſivit vultum tuum*: quo pacto legit etiam Auguſtin. Gregorius *n*, Caſſiodorus, Pſalterium Romanum, Arabicum, Æthiopicum. Editio item V. & VI. atq; Theodotionis, & Appollinarius.

n L. 1. epiſt. 5.

Νῶϊτέρου μέμονε τεὸν ἦτορ ἰδέσθαι πρόσωπον
Noſtrum expectavit (cupivit) *cor tuum oculum* (vultum) *noſſe* (videre.)

Eamdem lectionem ſequitur Eccleſia in Officio divino in introitu Miſſæ Dominicæ infrà octavam Aſcenſionis. In Complutenſibus, Regiis, &c. Κύριον ζητήσω, ἐξεζήτησέ σε τὸ πρόσωπόν μου. *Dominum quæram, exquiſivit te vultus meus.* Sic habetur in Pſalterio Ambroſiano, niſi quod pro *quæram*, eſt *exquiram*, & apud Euthymium videtur Theodoretus omiſiſſe Κύριον ζητήσω, *Dominum quæram.* Et fieri poteſt, ut aliundè additum fuerit, ſicut & pronomen *te*: de quo Hier. *o* teſtari videtur non id Septuaginta addidiſſe. At expreſſit pronomen Symmachus: Σὲ ἐζήτει τὸ πρόσωπόν μου. *Te quærebat vultus meus.* Vim facit Euthym. in compoſito ἐξεζήτησε, denotare enim intenſionem majorem, & perquiſitionem diligentiſſimam. Notat prætereà emphaſin in eo, quod dicat: *Exquiſivit te facies mea*, ideſt; Ego ipſe.

o epiſt. 135.

Quum eodem quoque modo Hieron. reddiderit, legit profectò non ut modò eſt בקשו *bakkeſchu* in Imperativo, ſed בקשו *bikkeſchu* in præterito, aut in Kal בקשו *bakkeſchu*, jungiturque plurale verbum cum nomine פנים *panim* ejuſdem numeri. Quocircà non audiendus D Rabbi Kimhi, & Felix, dum priore illa ratione vertentes exponunt: *Tibi dixit cor meum*: ideſt, Propter te, aut in perſona tua dixit cor meum, *quærite faciem meam*, hoc eſt, meipſum Dominum: vel, *Quærite facies, vultusve mei*, nempè Dominum. Talem Daniel *p* uſurpavit loquendi modum, dicens: *Poſui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare, & deprecari*, hoc eſt, omninò id decrevi.

p cap. 9. 3.

Timor caſtus, ut Auguſt. obſervat, nil veretur magis, quàm ejus quem diligit abſentiam. Ceterùm inter alia hoc maximè valet dicendi formula iſta, ut *requirere faciem, ac vultum alterius*, non ſolùm de favore intelligatur, ſed etiam de conſilio, quod quis ab alio capiat, de voluntate, quam noſſe, ac implere cupiat, de aſſiduo quaſi ſervitio, & famulatu. Quocirca potuit David ſignificaviſſe ſe voluiſſe aſſiduè aſſiſtere Deo, frequentando ejus domum, ut coleret Deum, ut exploraret voluntatem ipſius, ut illum de omnibus conſuleret. Deniq; *faciem requirit Dei*, qui *providet Deum in conſpectu ſuo ſemper* q: qui quærit *faciem ejus ſemper* r, i. e. præſentiam, ut exponit Auguſt. *ſ* exemplo faciei, venti, ignis & ſimilium, quæ nihil niſi eorumdem præſentiam deſignat. Quærere, ait idem Pater, nos per fidem, & ſpem, dum vivimus, quin etiam per charitatem: immò, & beatum quodammodò quærere, quia ſemper vult Deum eſſe præſentem. Nam dicimus, inquit, præſenti alicui: *Non te quæro*, ideſt, Non te diligo, nec eſſe præſentem volo. Hoc ſtudium continuum divinæ præſentiæ ſequentia demonſtrant verba, quibus idem repetitur.

q Pſ. 15. 8. r Pſ. 104. 4. ſ Ibidem.

Faciem tuam Domine requiram.) Non ſatis ſunt, quæ feci, faciam idem magis magiſque; quæram faciem tuam ſemper *t*: in lectulo per noctes, circumeundo de die, & quum invenero, tenebo, nec dimittam *u*. Si enim oſtenderis faciem tuam, ſalvus ero *x*: ſi averteris, conturbabo *y*. Idcircò fruſtrà *multi requirunt faciem Principis* (θεραπεύουσι *colunt*) quia *judicium à Domino egreditur ſingulorum* z, ideſt, ſtudent Principi placere, eique ſe commendare, & ejus gratiam captare, qui tamen judicare non poteſt omnes tùm perſonas, tùm cauſſas. *Deus cor regis* & ceterorum *in manu habet* a, ab illo pendet cujuſque judicium, ſors, conditio. Ergò ſi quærimus, quæramus *b*, nempè dum inveniri Deus *c* poteſt, idq; toto corde, & tota tribulatione animæ *d*, ſequendo illum in toto corde, & timendo, & ſic quærendo faciem ejus *e*. Facies noſtræ animæ ad faciei Dei ſimilitudinem facta *f*, non poteſt reformari, niſi prototypo jungatur. Illam Moſes oſtendi ſibi petebat *g*: aliquo modo id obtinuit in transfiguratione *h*, verè, perfectèque, quando eidem oſtenſum eſt omne bonum, *i* in beatitudine. Si *lædatur cor quærentium Dominum* k, quantò magis invenientium? idcircò, *Quærite*, inquit ille *l*, *faciem ejus ſemper.* *Bonus Dominus ſperantibus in ſe* (*ſpe* enim *gaudentes* m) *animæ quærenti ſe* n. Quid ergò invenienti, ut argumentatur Bernardus *o*? Deplorat Gregorius *p*, ſibi, quod antè faciebat, minùs in Pontificia poſito dignitate licuiſſe, ut vultum Domini medullis cordis ad ejus ſpeciem anhelans requireret. Auguſt. *q* quoque conqueri videtur, ſed ſuaviter, apud Deum, quòd quæſitum vultum iſtum, quum priùs longè ab illo poſitus in affectu tenebroſo ceſſiſſet, non oſtenderet; gratias etiam agit *r*, quòd evolutis tandem diebus illis, præcedentis nundinationis rhetoricæ, qui longi, & multi videbantur præ amore libertatis otioſæ, cantare ei liceret de medullis omnibus: *Tibi dixit cor meum, quæſivi vultum tuum, vultum tuum Domine requiram.* Sed *ſ* & Licentium contra Monicam matrem tuetur in ipſis requiſitis naturæ ſæpiùs cantando repetentem, quod illa ferre non poterat tali loco recitari; *Domine t Deus virtutum converte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.* Nam à cœno corporis, atq; ſordibus, & item à tenebris, quibus nos error involvit, & ab immoderatione vitiorum orari verbis illis, ut convertamur & faciem Dei, nihil aliud eſſe quàm ipſam, cui ſuſpiramus, & cui nos amatæ mundos pulchroſque reddimus, veritatem. Hanc veritatem qui Deus eſt, invenire arduum, Plato *u* ſcribit, immò, ut Platonem veluti corrigens Origenes *x*, ait; Non ſatis valet natura humana illum utcumq; conquirere, & purè invenire, ſi nihil ei opituletur ille ipſe, qui quæritur; ſed ab iis, qui, quod ſui eſt officii, fatentur ſe indigere. Sed modò non ingrediar diſputationem de gratiæ neceſſitate ad cognoſcendum Deum. Ad extremum Adrianus Papa primus colligit hinc venerationem imaginis Chriſti; & ex eo loco Pſalmi XLIV. *y Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.*

t Pſ. 104. 4. u Cant. 3. 1. 2. 4. x Pſ. 79. 4. 8. 20. y Pſ. 79. 8. z Pr. 29. 26. a Prov. 21. 1. b Iſ. 21. 12. c cap. 55. 6. d Deut. 4. 29. e Dan. 3. 41. f Gen. 1. & 2. g Ex. 33. 13. h Mat. 17. 3. i Ex. 33. 19. k Pſ. 104. 3. l Ibid. 4. m Ro. 12. 12. n Thr. 3. 25. De Gregorio Auguſt. quæ narretur. o Ser. 80. in Cat. & tr. de dilig. Deum. p lib. 1. ep. 5. q 1. Confeſſ. cap. 18. r lib. 6. cap. 3. ſ 1. de Ordine cap. 8. Licentius cur à Monica reprehẽſus. t Pſ. 79. 4. Platonis ſententia pia. u in Timæo. x 7. con. Celſum. Veneratio imaginis Chriſti unde ab Adriano collecta. y verſ. 13.

Verſ. 9.) Ne avertas faciem tuam à me: ne declines in ira à ſervo tuo.
Adjutor meus eſto: ne derelinquas me, neque deſpicias me Deus ſalutaris meus.

QUum faciem tuam, Domine, quæram, totus converſus ad te, tàm ſollicitè, ne tu, quæſo, avertas tuam à me, ne me deſtituas iratus benignitate favoris tui; ſed juva; quia nihil abſque te valeo: ne deneges opem tuam, nihili faciens pauperculum, qui à te ſolo ſalutem expetit, te unum Salvatorem agnoſcit. Nihil aliud per-

pertimeſco niſi indignationem tuam: nihil aliud concupiſco, niſi præſentiam tuam. Viſus erat nimis magna petiviſſe, videre *Voluptatem Domini*, & habitare in domo illius ſemper: nimis magna promiſiſſe, exquiſiturum ſe Deum, atque faciem ejus. Veretur ne hoc nomine, ut quidem docet Euſebius, indignatus, avertat ſe, atq; ſicut Moſi *a*, neget viſionem ſui.

a Ex. 33. 20.

At id quod initio poſitum, eſt verius, orare ſimpliciter, ne poſtulatis fruſtretur, nam iratum Moſi Deum non legimus quod viſionem illam poſtulaviſſet. Illud potiùs, tametſi de ſua erga Deum voluntate optimè ſibi conſcius eſſet, nec non de Dei erga ſe amore planè certus diffidiſſe lubricitati, ac imbecillitati propriæ: reſpexiſſe ſimul ad non ſatis nobis exploratam juſtitiam noſtram; ne fortè aliquod inſit, clam nobis ipſis, peccatum, quamvis nil nobis conſcii ſimus *b*. Solent etiam qui quid ardenter cupiunt, nullum tenere optandi, precandi, quæque poſſint obſtare cavendi, ac deprecandi modum. Teſtis hic repetita quater exceptiva particula *ne*, *ne*, *ne*, *ne*, magnam declarans orantis attentionem, ſtudiumque, magnam in conditionibus vim, & efficaciam, quæ impedimento poſſent eſſe, quominus optata, petitaque conſequerentur.

b 1. Cor. 4. 4.

Ne avertas faciem tuam à me.] Hieron. *Ne abſcondas*, אלתסתר *al thaſther*, *Ne abſcondere facias.* Lege Pſalmum duodecimum *c*, *Uſquequo avertis faciem tuam à me?* Ubi eſt idem Hebræum verbum Latinum Hieron, idem Græcum ἀποστρέφω. Eodem Hebræo utitur Job *d*: *Duo tantum ne facias mihi, & tunc à facie tua non abſcondar*, לא אסתר *lo eſſather*: & *e*, *Cur faciem tuam abſcondis, & arbitraris me inimicum tuum?* Sed Græcum verbum eſt κρύπτεσθαι: *Ecce ejicis me hodie à facie terræ* dicebat Cain *f*, *& à facie tua abſcondar, & ero vagus, & profugus in terra: omnis igitur, qui invenerit me, occidet me*, & *g* Deus: *Abſcondam faciem meam ab eis.* Iſidorus Peluſiota *h* expenſa ter facie Dei quam juxta vacabulum Græcum πρόσωπον interpretari (perſonam) licèret, colligit Trinitatem: alioqui videri poſſe βαττολογίαν (ſuperfluitatem.)

c verſ. 2.
d c. 13. 20.
e verſ. 24.
f Gen. 4. 14.
g Deut. 32. 20.
h l. 22. Epiſt. 143.
Ex repetita ter facie Dei Trinitas ab Iſidoro Peluſiota collecta hoc loco.

Ne declines in ira à ſervo tuo.) Hebr. *Ne declines in ira ſervum tuum.* Solet herus in ſervum ſtomachans declinare illum, ac denegare illi conſpectum ſuum, ut eodem Pſalmo duodecimo docui exemplo Aman *i*, cui adjungi poteſt Abſalon filius David *k*, fratres Joſeph *l*, Abner *m*, Saul. (Hunc amovit Deus à facie ſua *n*.) Non placent Hebraizantes, ut Vatablus, exponentes: *Neque declinare ſinas in iram ſervum tuum*, videlicet ob repulſam. *Declinare in ira* idem eſt quod, per iram: *Declinare ſervum*, idem quod à ſervo: nec veriſimile eſt ſupplicem veluti minari iram, niſi impetret.

i Eſth. 7. 8.
k 2. Reg. 14. 24.
l Gen. 43. 3. 5. c. 44. 23. 26.
m 2. Reg. 3. 13.
n c. 7. 15.
Declinare in ira, declinare ſervum, quid ſit.

Adjutor meus eſto.) Hieron. *Auxilium meum fuiſti*, quo pacto argumentaretur, memorem, gratumque animum oſtendens, quia hactenus auxilium fuiſſet, confidere ſe, ac etiam quodammodo compellere, ut id in poſterum ſemperque faciat. Legiſſe credendi ſunt Septuaginta non היית *hajitha*, ſed היה *hejeh*. Argumentari ſolet hinc Auguſtinus, & ex ſimilibus dicendi modis, cum gratiæ neceſſitate cooperationem liberi arbitrii noſtri. *Si dicis*, inquit *o*, *Adjutor meus eſto, aliquid agis: nam ſi nihil agis, quomodo ille adjuvat?* Præterea *p adjutor noſter* Deus dicitur, nec adjuvari poteſt niſi qui ſponte aliquid conatur; quia non ſicut in lapidibus inſenſatis, aut ſicut in eis, quorum natura rationem, voluntatemque non condidit, ſalutem noſtram Deus operatur in nobis. Item *q* non adjuvatur, niſi is, qui aliquid agit. Rurſus *r*, ipſum nomen *adjutoris* præſcribit tibi, quia & tu ipſe aliquid agis. Agnoſce quid poſſis: agnoſce quid confitearis, quando dicis, *Adjutor meus eſto, ne derelinquas me*, adjutorem utique invocas Deum. Nemo adjuvatur, ſi ab illo nihil agatur, &c.

Cooperationem liberi arbitrii noſtri unde argumentetur Auguſt.
o Tract. 4. in Epiſt. Joan.
p 2. de Pec. mer. cap. 3.
q de Perfect. juſt. cap. 19.
r Serm. 13. de Verbis Apoſt. cap. 11.

Ne derelinquas me, neque deſpicias me. Hieron. ſecundo loco: *Et ne dimittas me.* Græcè in correctis Bibliis: (Μὴ ἐγκαταλίπῃς με, δὲ μὴ ὑπερίδῃς με) quod Latinè ad verbum reddidit editio noſtra, ſed in Complutenſibus, Regiis & aliis, apudque Theodoretum, Euſebium, Nicephorum, ac Euthymium: (Μὴ ἀποσκορακίσῃς με, καὶ μὴ ἐγκαταλίπῃς με.) De primo verbo notant idem Patres, injurioſum eſſe, natum ex quadam fabula, ait Theodoretus, Euthymius, & Nicephorus, vel ex Proverbio illo: ἐς κόρακας, *Ad corvos*, vel ex metaphora ſcoriæ, quæ projicitur in metallo, ut ſpurcitia, fæxq; Euſebius tribuit Aquilæ verbum ἐάσῃς *ſinas*: Symmacho ἀπορρίψῃς, *projicias.* Suidas addit notionem aliam verbi ἀποσκορακίζειν, ut ſit non ſolùm ἐξορίζειν *exterminare*, vel quod Latinè dicitur pro proverbio, *Ad corvos* abire jubere, in malam rem, vel crucem, ſed etiam εὐτελίζειν *vilipendere*, & contemptui habere, fortaſſis ob ſcoriam, ut dixit. Adagii, Ἐς κόρακας, originem tradit Collector Adagiorum, & Ulyſſes Aldourandus *s*.

Simplicior forſan ratio, quòd in deſertis fortè locis corvi volitent. In Iſaiæ cap. ultimo *t* reddidit ἀποσκορακισμὸν Interpres *increpationem*, Hebr. גערה *gehharah*. Poſſet quoque hoc loco verbum נטש *nataſch*, ſignificare *evellere*. Petit ergo non relinqui, expelli, evelli, exterminari cum indignatione & reprehenſione, &c. non projici ad corvos infernales, non abjici, ut ſcoriam inutilem.

s lib. 12. Ornitholog. c. 1.
t verſ. 15.
Ex hoc loco ab Aug. collecta.

Benè colligit ex his verbis Auguſtin. *u*, quando quis cœperit habere merita bona, non debere ſibi tribuere illa, ſed Deo: dicendo namque: *Ne derelinquas me*, oſtendi, ſi derelictus eſſet, nihil boni valiturum per ſe. Docet *x* præterea, illos derelinqui à Deo, ac proindè etiam deſpici, qui ad perſeverantiam non prædeſtinantur, etſi verò prædeſtinati quoque, ac iidem ſimul juſti, dum ſinuntur peccare, videantur derelinqui, & deſpici, id cedit illis ad correptionem, & *cooperatur in bonum y*. Deniq; neceſſaria jugiter gratia Dei munera ſua conſervantis: quia *ſicut nemo obſiſtit largitati*, ait Gregorius *z*, *ita nullus obviat juſtitiæ relinquentis.* Cyrillus *a* Alexandr. tractans hunc locum ſcribit, quòd ἕπεται πάντως καὶ ὥσπερ συνομαρτεῖ ταῖς ἀποστροφαῖς ἡ ὀργὴ *ſequitur omnino & quodammodo comitatur averſiones ira*: item graviſſimum, & exitioſum eſſe non aſpici à Deo, quòd ex averſione neceſſitas ſequatur perferendæ iræ; immò averſionem ira priùs exorta antecedat.

u de Gra. & Lib. arb. cap. 6.
x de corrept. & Gra. c. 1.
y Rom. 8. 28.
z 11 Mor. c. 5.
a in c. 2. Amos & in c. 2. Joan.

Deus ſalutaris meus.) Creator, & Salvator, *opera manuum tuarum ne deſpicias b*: integros creaſti, laceratos recreaſti.

b Pſ. 137. 8.

Verſ. 10.) Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem aſſumpſit me.

AUxilii divini neceſſitatem demonſtrat potiſſimùm, eo quòd ſui eum parentes deſeruerint, ſi non ex contemptu, certè ex propria impotentia, vel ex metu Saulis, nec in tanta ſolitudine aliunde opem expectare, & habere, quàm ex Deo quiverit. Quum autem Davidem ad ſpeluncam Odollam, quò evaſerat, perſequente ipſum Saule, pater, mater, fratres & omnis domus patris ejus adjuverint *c*: vel de tempore illius fugæ loquitur, priùs quàm ei ſe quiſpiam adjunxiſſet: vel ad tempus hæc refert, quum rex à Samuele inunctus eſt, minimus natu, & à patre ſuo ſpretus quodammodo, ac veluti relegatus ad ovium cuſtodiam *d*.

c 1. Reg. 22. 1. 3.
d Ibid. c. 16. 13.

Fortaſſis aptior ſenſus, eſt, ut figuratè intelligatur David ſe coram Deo ſimilem facere infanti recens nato, à parentibus derelicto, humi expoſito, ſubjecto injuriis omnibus, opis alienæ indigenti. *Portavit te Dominus Deus tuus*, ait Moſes *e*, *ut ſolet homo geſtare parvulum filium ſuum, in omni via, per quam ambulaſtis, donec veniretis ad locum iſtum.* Salomon orans Deum, nominabat ſe *puerum parvulum*, qui ignoraret *egreſſum & introitum* ſuum *f*. Ezechias exponens eidem Deo calamitates ſuas ut *hirundinis pullum* clamare ſe canebat *g*. Deus ipſe, etiamſi *mater obliviſcatur infantem uteri ſui*, negat obliturum ſe noſtri *h*.

e Deut. 1. 31.
f 3. Reg. 3. 7.
g Iſ. 38. 14.
h cap. 49. 15.

Sed & cenſeri poteſt hic hypothetica oratio: Quamvis neceſſarii me mei maximi, ipſeque pater, ac mater deſtituant, quorum tàm cara vocabula, extremam naturæ lege charitatem præ ſe ferunt, ac promittunt; licèt amici, & proximi etiam adverſum me appropinquent, & ſtent; & qui juxta me erant, de longè ſtent *i*: etiamſi me ſicut ovum, vel pullum apud nidum, vel extra, ut alere, ac tueri me nequeam, parentes deſerant: at non derelinquet Deus, ſuove præſidio, cura, favore nudabit.

i Pſ. 37. 12.

Illud

Illud τὸ ἀποσκορακίζειν, de quo priùs dixi, adjuvat mirificè ſenſum iſtum, prout ἀπὸ τῶν κοράκων *à corvis* derivatur, nam pullos corvi vel nido pellunt, vel in nido alimonio deſtituunt, oblivioſiores ſecundùm naturam, ſæviores, voraciores, ut ne pullis quidem abſtineant, ſicut produnt phyſiologi apud Aldovrandum *a*, & innuit Gregorius *b*, traditque Ariſtoteles *c*, pellere pullos nido. Nec verò diſplicet Arnobii expoſitio: ut declaret David eximium amorem, quo proſequatur Deum, propterque quem jure ſuo flagitet non deſerti ab ipſo. Amor autem eſt veluti ſponſæ adverſus ſponſum, ob quem amorem, & adeò arctam conjunctionem juſſu Dei relinquitur à conjugibus pater, materque, ut invicem adhæreſcant, & una evadant caro *d*. Ergo videtur David ſingulare hoc benevolentiæ, atq; viciſſitudinis vinculum objicere, quod neceſſitatem viciſſim imponat Deo redamandi, atque ſubveniendi. Unum obſtat, quòd non ipſe dereliquiſſe, ſed derelictum ſe David à parentibus dicit. Sed ſunt iſta quodammodò reciproca. In libro de cura pro mortuis gerenda *e* utitur Aug.) quem Bredembachius lapſu memoriæ vocat Hieron.) hoc loco, ut probet animas mortuorum non ſentire res viventium, ſcilicet naturaliter, nec intereſſe, quando nos alloquuntur in ſomnis, alioquin, nec matrem piam defunctam nocte ipſum deſerturam fuiſſe, quæ terra, marique vivens, ut ſecum viveret, ſecuta fuerit, dum vivebat.

Corvorum in pullos inhumanitas.
a 12. Ornitholog.
b 30. Moral. cap. 8.
c 9. Hiſtor. anim. c. 31.
d Gen. 2. 24. Mat. 19. 5.
e cap. 13.
Auguſtinus ex hoc loco ut probans animas mortuorũ non ſentire res viventium.

Myſticè dicunt Patres cauſſam exponi, cur tantoperè humana natura egeat auxilio Dei, & quare tam enixè illud expoſcat; quia nimirum naturali à primis parentibus contracto peccato depravata ſit; & eamdem Dei Filius, illam aſſumendo, curatum venerit, ita ut derelinquere, ac deſpicere non poſſit, quàm ſibi tàm arctè devinxit.

Myſtica interpretatio.

Aliter ex Auguſt. pater, diabolus eſt; mater, ſocietas malorum: hi nos derelinquunt, quando contemnuntur à nobis, & quum Deum quærimus, qui ſolus tamquam pater, quia condidit nos, vocat, jubet, regit; ſicut mater, quia fovet, nutrit, lactat, continet, ſuppeditare nobis neceſſaria poteſt.

Ad mores quoq; pertinet, Deum, ut alibi dicitur *f*, eſſe in opportunitatibus adjutorem, quum deficiunt naturæ ſubſidia, præſto eſſe: patrem præcipuè orphanorum eſſe, ac judicem viduarum *g*: ſed maximè illorum, qui pia deſtinatione voluntatis, non à parentibus deſerti, ſed deſertores parentum ſunt; ut ad perfectius vitæ genus vocanti pareant Deo, cunctorum etiam parenti, etiam eorum, qui alios pepererunt. In eos quos ipſimet parentes, propinqui, ceteri derelinquunt, quadrat ſententia Job *h*: *Dereliquerunt me propinqui mei, & qui me noverunt, obliti ſunt mei*: Item illa ex Eccleſiaſtico *i*: *Circumſpiciens eram ad adjutorium hominum, & non erat.* At verò *qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ, Neſcio vos: & fratribus ſuis, Ignoro illos, & neſcierunt filios ſuos; hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſervaverunt k*, &c. *Benedic fortitudinis tuæ l*. Opus namque hoc ſummæ fortitudinis, *obliviſci domum patris ſui m*: ſinere *mortuos ſepelire mortuos ſuos n*. Gladius ad hoc neceſſarius hìc à Chriſto miſſus eſt *o*. *Parit hæc neſcientia: ſcientiam Dei, quem ſcire familiarius appetit*, ut ait Gregor. *p*, *qui præ amore pietatis neſcire deſiderat, quos carnaliter ſcivit.* Immò verò & ipſummet Chriſtum expediebat hinc hac de cauſſa recedere *q*, qui viſus eſt aliquando matrem ipſam neſcire, ac deſpicere *r*, ut jam non noſceretur ſecundùm carnem *ſ*, ideſt, ſecundùm carnis affectum, ſed ablactati à lacte, avulſi ab uberibus, docerentur ſcientiam *t*, nempè divinam. Cyrillus Alexandrinus explanans Michææ *u* locum, qui congruit propoſito, *inimici hominis, domeſtici ejus*, quem citat quoque Chriſtus *x*, docet quamdam eſſe φιλοστοργίαν, cujus προσκρούειν, *offendere leges*, ſit θεὸν εὐφραίνειν τὸ καὶ τὰς ἰδίας ψυχὰς ἀνασώζειν, *Deum exhilarare, & proprias animas ſalvare.* Id confirmat tùm præſenti Davidis teſtimonio, tùm Chriſti, qui ſe veniſſe dixit dare ſeparationem, ut eſſent quinque in domo una diviſi, tres in duos, & duo in tres, pater in filium, & filius in patrem ſuum: mater in filiam, & filia in matrem: ſocrus in nurum ſuam, & nurus in ſocrum ſuam *y*: ſic ait, nobis dari ἀναμελῳδεῖν τοῦ μάλα τὸ διὰ φωνῆς τοῦ Δαβίδ, *cantando reſpondere benè valdè hoc quod his voce Davidis dicitur.*

f Pſ. 9. 1.
g Pſ. 67. 6.
h c. 19. 14.
i c. 51. 10.
k Deut. 33. 9.
l Ibid. 11.
m Pſ. 44. 22.
n Mat. 10. 34.
p 7. Mor. c. 17.
q Joa. 16. 7.
r Joa. 2. 4. Mat. 12. 48 & ſeq.
ſ 2. Cor. 5. 16.
t Iſa. 28. 9.
u c. 7. 5.
x Mat. 10. 36.
y Luc. 12. 51. 52. 53.

Dominus autem aſſumpſit me.) Hieron. *Collegit me*, vel, *Colliget me.* יאספני *jaaſpeni.* Significat hoc verbum veluti de terra & platea expoſitum tollere, ac ſuſtollere, elevare, educere educandum, alendumque. Quin etiam Thalmudicis, Tractatu de ſponſalibus, ut ante me Genebrardus admonuit ex Rab Bial Haruc appellant אספים *aſaphim*, *pueilos expoſitos.* ſicut Græci χαμμαιρίφεῖς aut χαμευρετοὺς *qui tolluntur de platea*, nec patrem aut matrem norunt. Frequens certè verbi uſus ad ſepulturæ ſupremum denotandum officium, ut qui ſepelitur, dicatur, *colligi*, vel *congregari ad populum ſuum*, *ad patres ſuos*, *ad ſepulchrum z*.

Sacr. Scrip. loquendi genera.
z Num. 20. 20. c. 31. 2. 4. Reg. 22. 20. Iſa. 57. 1.

Sic verò per idem verbum duo humanæ vitæ neceſſitatis articuli extremi deſignantur in ortu, & interitu, quibus temporibus appareat maximè erga depoſitos, ac deſolatos divinæ benignitas opis, & quaſi aſſumptio, atque ſuſceptio, ſicut è contrario magnæ inhumanitatis eſt infantes exponere, & quemlibet hominem inhumatum relinquere. Priore modo inhumanos Plutarchus *a* deteriores facit ſuibus, canibuſq; qui, ſi catulos diſcerpſerint, attoniti trepidant homines, deos placant, pro monſtro id habent: exponere & deſerere, necare eſt, aut necandos relinquere. Innuitur præterea compaatio cum volucre pullos ſuos ſub alas congregante; quam Chriſtus *b* uſurpavit ſimilitudinem poſt Deum *c*. Myſticè accipiunt de aſſumpta humana natura per Chriſtum, quaſi porrecta & ſuppoſita manu dejectam, deſertamq; ſuſtinendo, & erigendo. De verbi Græci ἀντιλαμβάνω, quod hìc eſt, poteſtate, dixi Pſalmo tertio *d*, & decimo ſeptimo *e*, & confirmatur ſententia B. Virg. *Suſcepit Iſrael puerum ſuum f*.

Infantum expoſitionis inhumanitas.
a Περὶ φιλοστοργίας.
b Mat. 23. 37.
c Deut. 32. 11.
d verſ. 6.
e c. 17. 36.
f Luc. 1. 54.

Verſ. 11.) Legem pone mihi Domine in via tua: & dirige me in ſemitam rectam propter inimicos meos.

UT infantulum aſſumpſiſti, collegiſti, ſuſtuliſti, educaſti, aluiſti: doce ambulare per viam tutam, ac rectam, ne me inimici ſeducant, & ad invia, prærupta que periculorum, ac vitiorum perducant, ne ut pullum deſertum venatores, feræ, rapaces aves diripiant. Non quidem id meis debetur meritis; ſed quum nulla injuria hoſtes affecerim, immeritò malè illi me tractant: & opto, ut cognoſcentes me tibi curæ eſſe, teque humanas res curare, ac innocentiæ favere, vel reſipiſcant, vel contabeſcant. Eodem ferè modo in vigeſimo quarto Pſal., *g*: *Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus Salvator meus*: quem locum conſule.

g verſ. 4. 5.

Jure igitur ſuo vivere petit juxta legem Dei, quem patris, ac matris habeat loco: Aut juxta ſenſum alium ante traditum, loco ſponſi, in cujus gratiam patrem, matremq; reliquerit, cupit cognoſcere quid ille velit, nolit, oderit, amet; ne obſequendi etiam, quod fieri poteſt offendat voto, ſi rationem non ediſcat priùs, quàm placere debeat: & quia nihil adeò ſtudent inimici, quàm ut offenſo illo, accipiant in eum poteſtatem. Potuit quoque David longiùs proſpexiſſe, ac deſideraviſſe, ut indicant Athanaſius & Euſebius, legem Evangelicam, & Chriſtum, qui fieret ipſe dux in via, viaque ipſa *h*.

h Joa. 14. 6.

Legem pone mihi Domine in via tua. Hieron. *Oſtende mihi Domine viam tuam.* Aquila, & Theodotio, φώτισόν με, *Illumina me.* Symmachus Ὑπόδειξόν μοι, *oſtende mihi.* Interpres noſter imitatus eſt LXX. qui uſurpant νομοθέτησον, ut & ibi *i*: *Legem pone mihi Domine viam juſtificationum tuarum*, ubi etiam Hieron. *oſtende*, & *K*, *A judiciis tuis non declinavi, quia tu legem poſuiſti mihi*, ἐνομοθέτησας: quo loco idem Doctor, *Quia tu illuminaſti me.* Hoc valet Hebr. verbum hoc, & aliis illis loci הורני *boreni*, & הורתני *borethani*. Diximus anteà in quodam alio Pſalmo de verbo iſto, & ab eo legis vocabulum תורה *thorach* derivari à nonnullis.

i Pſ. 118. 33.
K ibid. 102.

Illuminare non hoc, ſeu verbo ſimplicis formæ ירה *jarach* ſignificatur, ſed per verbum אור *or*, nec difficilè fuit (ה) pro (א) irrepſiſſe: nam & citato ex Pſal. CXVIII. priore loco φώτισον pariter & ὑπόδειξον, iidem, quos dixi, tùm Aquila; & Theodotio, tùm Symmach. habent: & ibi negat Hilarius Latinè ſatis exprimi potuiſſe virtutem

tutem

cutem verbi Græci, ac Hebr. *legem ſtatuere*, vel *conſtituere*, eidem, necnon Ambroſ. Auguſt. aliique reddere ſolent, Pſalterium Roman. & Ambroſ. hic habent, *conſtitue*, alibi, *pone*,

Propter inimicos meos,) Hier. *Propter inſidiatores meos*. Sunt שררים *ſcorerim* inter alia, quæ vox ea ſignificat, *obſervatores*, torvè inſpicientes: שרורות *ſcheriruth*, *duritia*, obſtinatio, & pravitas. In Pſalmo quinto *a* in ſimili ſententia eſt idem vocabulum שוררים *ſchorerim* *Domine deduc me in juſtitia tua propter inimicos meos*. Hier. *propter inſidiatores meos dirige in conſpectu tuo viam meam*. Recognoſcenda illius loci notatio, in quo præterea Pſalmum nonageſimum *b* citavimus, ubi שורים *ſchurim* noſter interpres *inimicos*, Hieron. quoque *inſidiatores* vertit. Ibidem etiam dixi verti poſſe in aliis locis, *cantatores*, qui cantando irrideant, quia שור *ſchur* cantare etiam eſt.

a verſ. 9.
b v. 12.

Verſ. 12.) Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi,

URget periculum ab adverſariis, ut eorum attendens injuſtitiam Deus, non illum tradat ipſis, ac voluntati eorum: ardere namque cupiditate nocendi, quærendo falſis teſtimoniis opprimere, & falſa commiſcendo apud ſe, ſibiq; neſcio quas juſtas fingendo rationes, quibus incitari videantur ad perdendum illum: qua in re non Deo qui falli nequeat, mentiantur, ſed in proprium caput ſuum. Doeg, & alii mendaciter, ac invidioſè detulerant ad Saulem David: & ſurgentes hi teſtes iniqui, quæ ignorabat ipſe, interrogabant *c*, objiciebantque. Quod allegoricè de Chriſti accuſatoribus affirmari poteſt *d*: & tropologicè huic malo quivis juſtus obnoxius eſt: cui præterea ſpirituales inimici falſa objectant lenocinia voluptatum, & fictas imagines rerum bonarum. Querebatur apud Saulem David: *Si Dominus incitat te adverſum me, odoretur ſacrificium*, (i. e. Præſto ſum, libenter moriar, fiat de me ſacrificium, ac Deo velim gratum & acceptum illud eſſe) *ſi autem filii hominum* (malignis criminationibus incitant te contra me) *maledicti ſunt in conſpectu Domini e*. Item *f*: *Quare audis verba hominum loquentium. David quærit malum adverſum te?*

c Pſ. 34. 26.
d Mat. 26. 61. & 62.
e 1. Reg. 26. 19.
f ibid. c. 24. 10.

Perſecutio, morſque, veritatis, ac pietatis nomine placet juſto: propter crimen objectum falſò, permoleſta eſt: quando quum vita eripitur ipſi fama, virtutis exiſtimatio concidit, a colenda hac, & pietate alii deterrentur: ipſa Dei gloria, nomenq; in diſcrimen adducitur: improbi inſolentiores redduntur. Idcircò præcipiebat Petrus *g*: *Nemo veſtrum, patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut aliorum appetitor: ſi autem ut Chriſtianus, non erubeſcat; glorificet autem Deum in iſto nomine*. Plura in Commentario noſtro illius loci, ubi de Juliano Apoſtata, & nonnullis aliis, qui Chriſtianos in jus alio nomine, quam quòd Chriſtiani eſſent, invidentes eis hanc gloriam, acceſſebant.

g 1. ep. 4. 15. 16.
Chriſtiani ſub alio nomine in jus accerſiti, quod eis hæc gloria invideretur

Ne tradideris me in animas.) Hieron. *Ne tradas me animæ* נפש *nepheſch*, in ſingulari, h. e. voluntati, ut etiam eſt Chald. רעות *rehhuth*, ſive deſiderio. Talis in Luca *h* phraſis: *Jeſum tradidit voluntati eorum*. Rabbi Moſes Ægyptius *i* inter acceptiones *animæ* iſtam ponit pro voluntate, confirmatque aliis exemplis, quum dicitur non tradendum aliquem *in animam inimicorum ſuorum* k: Non *eſſe animam Dei ad populum* talem *l*. Idem eſt, quum pollicetur Deus, quòd non *abjiciet anima ſua* quempiam *m*. Vel minatur dare *in animas odientium* n. Præterea *ſaturari animam* o, & appetitum impleri: quo pacto, & bruti anima impleri dicitur *p*. Tacitè ratiocinatur facta mentione de deſiderio inimicorum, non videri æquum huic ſatisfieri, non autem voto ſuo juſto, & pio. Sed & quum deprecatur, ne ſe Deus tradat, non definiendo facultates, vitam, corpus juxta moralem ſaltem ſenſum, judicari poteſt vereri non alteriùs cujuſvis jacturam præterquam animę, quam unam quoque Dæmones perdere volunt.

Phraſes Scripturę.
h c. 23. 25.
i l. 1. Direct. dubio. c. 40.
k Pſ. 40. 3.
l Ierem. 15. 1.
m Lev. 26. 11.
n Ez. 16. 27.
o Ez. 7. 19.
p Iob 39. 1. vel 38. 39.

Tribulantium,) Pſalterium Roman. *Perſequentium* צרי *ſarai* θλιβόντω. *Oppreſſorum*, *anguſtiatorum*. De his vocibus alibi.

Inſurrexerunt in me teſtes iniqui.) Hieron. *falſi* שקר *ſcheker*, *mendacii*, *& falſitatis*. Quàm ſit falſa criminatio per teſtes ſuppoſitos mala, quam graviter animadverſa, dixi in Apoſtolica hiſtoria *q*. De falſis teſtibus contra Chriſtum Iſidorus *r* interpretatur hunc locum, aliiq; nonnullos *ſ*. Non modò falſum teſtimonium ad Chriſtum damnandum, confictum *t*, ſed etiam poſt reſurrectionem, ut non reſurrexiſſe, ſed furto à diſcipulis crederetur ſublatus *u*. Clemens Rom. *x*. eamdem illius loci vaticinationem impletam ſcribit, vel apud eum Apoſtoli quando ſubornati ſunt adverſus Chriſtum teſtes. Idem docet Hieron. aliusve in Marcum *y*, ſicut & falſos contra Nabot, teſte *z* Ambroſ. *a*, & Rupertus *b*, & Gloſſa interlinearis myſticè ad teſtes falſos contra Chriſtum accommodant: Hieron. aut Philippus, verba Job *c*, *Suſcitatur falſiloquus adverſus faciem meam, contradicens mihi*.

q Act. 6. 13.
r de Paſſ. Dom. c. 26.
ſ Oſe. 7. 13. Amos 2. 6. Mala. 3. 9.
t Mat. 26. 61.
u Inf. 28. 12. 13. 14. 15.
x l. 5. Conſt. c. 13.
y in c. 14.
z 3. Reg. 21. 10.
a exhortat. ad Virg.
b in l. Reg. l. 5. c. 24.
c c. 26. 9.

Et mentita eſt iniquitas ſibi.) Hieron. *Et apertum mendacium*: nempè inſurrexit, is inquam, qui apertum mendacium conflaverat. Hebr. eſt verbum ויפח חמס *vipheach chamas*, & loquens, aut flans violentiam, injuſtitiam, injuriam comminiſcens, ſcelus. Atqui interpretes LXX. re ipſa ſenſum expreſſerunt: *loqui* namq; *contra alium iniquitatem*, eſt falsò illum accuſare, atq; mendacium in eum proferre. *Mentitam* autem *iniquitatem ſibi*, juxta priùs allatum communem ſenſum eſt, ut reciderit in perniciem illam operantis, aut loquentis, vel ut excogitatum ſtudioſè mendacium priùs fuerit. Confirmari poteſt verbis Danielis ad impudicos ſenes: *Rectè mentitus es in caput tuum d*. Alterius Pſalmi autem verba: *e Dixit injuſtus, ut delinquat in ſemetipſo*, ſtudioſam indicant malitiam. Ambroſ. *f* locum iſtum Pſalmi trigeſimi quinti, accipiens de proprio damno quod ſibi afferat injuſtus malè loquendo, agendo; Sicut viperæ partus, primò ſuam, inquit, ſcindit parentem: ad eumdem quoq; modum exponit verba Pſalmi noſtri. Profert exempla Judæ proditoris *g*, Cain *h*, Ananiæ *i* fraudatoris agri. Quod addit, nil ſe tale in illis legiſſe, qui ſibi ſapientiam ſæculi vindicarunt, fieri poteſt, ut conceptis hiſce verbis non extet: at ſenſu certè, ſententiaq; idem nonnullus dixiſſe comperietur, nempè improbum ſibimetipſi improbè operando pœnas irrogare, ſeipſum vexare, ſibi noxium eſſe. Hac eadem de re, locoque diſſerit in confeſſionibus Auguſt. *k* docens, omnem qui peccet, etiam in Deum, peccare, ac impiè facere in animam propriam.

Phraſis Scripturæ.
d Dan. 13. 55. 59.
e Pſ. 35. 2.
f in eund. Pſ. & verſic.
g Mat. 26. 15. c. 27. 5.
h Gen. 4. 9. & ſeq.
i Act. 5. 39. 10.
k l. 3. 8.

Tertiò adhuc ſenſu *mentita ſibimet iniquitatem*, eſt, ipſammet convinci poſſe mendacii, claruiſſe, ac apparuiſſe, quod Hieron. dixit (apertum mendacium.) Id reor Athanaſ. velle, ac Euſebium, quum explicant debilitatam iniquitatem, irritam, non benè nixam. Videtur legiſſe Hieron. non יפח *japheac*, ſed יפע *japheahh*, quod eſt, *claruit*, *reſplenduit*. Sed & Aquila profectò Symmachusq; ita legerunt, exponentes καὶ ἐξεφάνη ἀδικία, *Detecta eſt, patefacta, comperta iniquitas, & fraus*.

Alium ſuppeditat ſenſum verbum idem יפע *japheahh* prout præterea ſignificat παῤῥησιάζειν, *audacter loqui*, vel agere, ut in alio Pſalmo *l*: *Deus ultionum liberè egit* הופיע *hophiahh* ἐπαῤῥησιάσατο: iniquitatem omnem, ut ita dicam, conatum omnem exeruiſſe, omnem artem adhibuiſſe, ſibi quodammodò ea in re placuiſſe, oſtentaſſe quantum valeret. Id Græci illi ſeniores pronomine ἑαυτῇ optimè declaraverunt, ut intelligeremur, illam iniquitatem tàm artificioſè adornatam, adeò validè ſtructam, ut ſola per ſe ſufficeret ad perdendum Davidem, quem tot, tantiq; detulerant ad Saulem: & deſperandum Davidi eſſet, niſi ſpem in Deum firmiter collocaret, ſeſeque meditatione, ac expectatione meliorum bonorum, quod verſu ait ſequenti, erigeret.

l Pſ. 93. 1.

Similem vim habet pronomen *ſui* in illis dicendi formulis, quibus ſalvaviſſe dicitur ſibi dextera Dei *& brachium ſanctum ejus* m, h. e. ſuaptè potentia, nec ullius adjutum ope, & ſibimet auxiliando, ut loquitur Deus apud Iſaiam, aliquid feciſſe. Indicat Appollinarius eamdem ſententiam, vel quæ commodò ad eam revocari queat, dum ait ſibi iniquitatem injuſtis mentitam contumeliis, quaſi contexuerit catenam convitiorum, oneravit

m Pſ. 97. 2. Iſa. 59. 16. cap. 63. 5.

ravit plauſtrum injuriarum, &c. atq; ut hùc illa transferam, factum fuerit *ſupramodum peccans peccatum* a, & *in peccatis* excuſantes intervenerint *excuſationes* b.

a Rom. 7. 13.
b Pſ. 140. 4.

Αὐτῇ [inquit] δυσωνυμίησι ἀδίκοις ἐψεύσατο μώβαις. *Sibi iniquitas autem injuſtis mentita eſt calumniis*. Eo pertinere quoq; poteſt accommodatitius ille ſenſus, quo per *iniquitatem mentitam ſibi*, in abſtracto Diabolum intelligamus, qui quando loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt, & pater ejus *c*, nempe mendacii. Hoc quidem modo præſentem intellectum locum protulit Martinus Papa I. litteris quæ recitantur à Synodo Lateranenſi. *d*.

c Ioa. 8. 44.
d Secr. ſive conſult. 3.

Porrò quod attinet ad pronomen *ſibi* quum Hieron. non expreſſerit, aut non legit, aut neceſſarium non duxit. Dictio Hebręa quę extat, eſt לולא, quam quum iſtis punctis legentes לולא *lule*, ut ſignificat *niſi*, recentes Auctore, quos appellare ſoleo Hebraizantes, exponunt ſupplendo verbum *defeciſſem*: *defeciſſem, niſi* (verſu ſequenti ſunt cetera) *credidiſſem me viſurum bona Domini*, &c. Favet in Paraphraſi Caldæa אלולא *illule*. Placet mihi quod notat Ricardus Cenomanus, Interpretes Lxx. qui reddiderunt ἑαυτῇ ſibi, legiſſe bis repetitum pronomen affixum, junctumque articulo לולא *lolo* ad majore expreſſionem, quaſi dicas, *ſibimetipſi*: nec refert alterum ſcribi per (א) לא *lo*, quia ut nos quoque priùs notavimus, ponitur aliquando (א) pro (ו)

Leo Caſtro *e* credit de induſtria Hebræos hunc locum corrupiſſe, addito לא ad לו & effeciſſe unam dictionem לולא *lule*, ne Catholici de teſtibus falſis contra Chriſtum interpretarentur quemadmodum & ad hoc propoſitum recitatur ab Eccleſia feria quinta paraſceves ad Matutinum in ſecundo Nocturno. Ego tàm multa de Judæis, quamvis improbiſſimis & inimiciſſimis noſtris, non credo. De ejuſdem loci expoſitione ſecundùm Rabbinos lege præterea Galatinum *f*, nempe, ac ſi diceret David: Domine mundi, confido ego in te, quod daturus ſis præmium bonum juſtis in futuro: neſcio tamen ſi erit mihi pars inter eos, an non. *Mentiri* dicuntur *inimici Dei*, *Dei*, *Deo* g, quando longè alium ſucceſſum habent, quàm putaverant.

e l. 3. Apol.
Locus de induſtria ab Hebræis corruptus creditus.
f l. 9. c. 1.
Mentiri inimici Dei, Deo, ut dicantur.
g Pſ. 80. 16. Pſ. 65. 3.

Verſ. 13.) Credo videre bona Domini in terra viventium.

IN tantis poſitum calamitatibus, meque adeò multis adverſariis tàm infensè calumniantibus, & perſequentibus, nec degere ſinentibus in patria, ubi liceat Dei locum ſecretiorem frequentare, & habitare in hæreditate Domini, dicendo, *Vade ſervi diis alienis* h, valdè ſolatur, & ſuſtentat ſpes, fore, ut illuc aliquando redeam, ac reviſam, videamque quam antè dixi unicè me expetere, Domini voluptatem. Sed abſque comparatione multò magis recreor certa expectatione divinæ jucundiſſimæ felicitatis. Niſi ſuccurrerent iſta animo, meque iſta fide confirmarem, deficerem proculdubio. Hic ſenſus verus, propter quem aliquos quædam ſupplere anteà monui, & inde illud לולא ad iſtum verſum referre, quod minimè tamen neceſſarium eſſe dixi.

h 1. Reg. 26. 19.

Credo videre bona Domini.) Hieronymus, *ego autem credo*, unde ſuſpicior aut aliud legiſſe quam לולא, de quo dixi; aut hoc ſignificare etiam idem quod, *autem*, Aquila, ἐπίστευον ἰδεῖν τὴν ἀγαθοσύνην Κυρίου: *Credidi videre in bono Domini*, quo pacto Hebraicè eſt ad verbum, eſtq; Hebraiſmus, *videre in bono*, pro videre bonum, ut, *Ad videndum in bonitate electorum tuorum* i. Symmachus: ἐπίστευσα τοῦ ἰδεῖν ἐν ἀγαθῷ Κυρίου: *Credebam videre bonitatem Domini*. *Credere* hoc loco, eſt confidere, ac ſperare, ſicut aliàs ſæpè, ut, *Credite; quia accipietis k*. *Sicut credidiſti, fiat tibi* l. Vel eſt etiam proprius actus fidei, ut placet Fulgentio *m*.

Hebraiſmus.
i Pſ. 105. 5.
Credere quid ſit hoc loco.
k Math. 11. 24.
l Mat. 8. 13.
m 1. ad Maximum c. 11. & lib. de Incar. & grat. Chriſti c. 23.

Bona Domini ſunt quæcumque ſunt, quia quæ ſunt, illius ſunt; & entia omnia, bona ſunt, nec quidquam fecit mali Deus; immò nec fieri malum poteſt à Deo, quia defectus, & nihil eſt. Vitæ neceſſaria ſuſtentandæ quæ ſuppeditatur à Deo, vocat Chriſtus *bona data* n. Sed κατ' ἐξοχὴν bona gratiæ, gloriæque, bona Dei ſunt: quem idem Chriſtus *o* prioribus opponens, nominat Spiritum bonum. *Bona Domini* ſunt, quæ ipſimet Domino ſunt bona, quæ illum reddunt bonum, quæ ſola per ſe bona dici merentur. Hoc pacto etiam *gaudium Domini*, & *voluptas* dicitur ejus *p*. De iſtis Ambroſ. *q* accipit locum hunc: præterea *r*, *Quis oſtendit nobis bona? Replebimur in bonis domus tuæ* ſ: adde *t*: *Qui replet in bonis deſiderium tuum*; & *u*, *Videas bona Jeruſalem*, ideoque Davidem hæc frequentaviſſe: ut ſcires hinc bonum illud Philoſophos tranſtuliſſe, quod ſummum aſſerunt, qui eſt Deus, ſolus hoc modo *bonus* x, quia *ſummè bonus*. Quamquam Hebraicè ſingulari numero his locis eſt טוב *tov*, quod non modo Græci, ſed & Hieron. reddit pluraliter. Et hoc eſt omne bonum, quod Moyſi Deus pollicitus eſt ſe oſtenſurum *y*. Ad illud non pervenit, niſi quod jubet Deus *z* exquirens bonum, videlicet deſiderio ipſius, & opere virtutis: qua de re idem Ambroſius *a*, docens propterea, quòd omnes virtutes bonitas tamquam mater fœcunda amplectitur. De his eiſdem ſpirualibus bonis, præſertim felicitatis æternæ, non modò qui præſentem enarrant Pſalmum, ſed aliis locis alii exponunt, ut quem dixi, Fulgentius, & Hieron. *b*, *Quia omnium*, inquit *c*, *bonorum promiſſio vita eſt ſempiterna*. Et *d* Auctor operis imperfecti, & apud Auguſtinum is, qui de ſalutaribus documentis ſcripſit *e*, & Iſidorus *f*, & Paulinus *g*.

n Luc. 11. 13.
o ibid.
p Mat. 25. 21. 23.
q Pſ. 64. 4. ſ. 35. 9.
r De Bono mortis c. ult. & in Pſ. 36.
ſ Pſ. 4. 6. 7.
t Pſ. 64. 5.
u Pſ. 102. 3.
x Pſ. 127. 6. Mar. 10. 18.
y Ex. 33. 19.
z Amos 5. 15.
a De Fuga ſeculi c. 6.
b in Iſ. c. 14. & 55. & in Oſe. c. 13. & in Zach c. 1. & Ep. 129.
c in Iſ. c. 55.
d Hom. 9 in Matth.
e To. 4. c. 47.
f in Gen. c. 30.
g Epiſt. 31.
h ibid.

In terra viventium.] Neſcio Paulinus *h* ubi legerit, *in lumine viventium*. Hebræum nomen חיים *chaiim* non tantùm *vitas*, ſed *viventes* quoque ſignificat. Ex nomine igitur *vitarum* neceſſarium argumentum Luyſius Legionenſis minimè petit, ut veram tueatur ſententiam de beatitudinis terra, locoque: nec ſi *vitas* retineamus, non poterit de terra promiſſionis dici *terra* eſſe *vitarum*: ſicut in Cantico Ezechiæ *i*: *Dixi; Non videbo Dominum Deum in terra viventium*, hoc eſt, in tabernaculo, ubi ſe Dei manifeſtabat Majeſtas: poſt mortem verò Deum videre adhuc non licebat. Favet quod ibidem ſubditur: *Non aſpiciam hominem ultra*: & cet. Quamquam non me latet, aliis videri, de quibus Leo Caſtro, deplorare Exechiam, quòd ſpes præcideretur naſciturum de ſuo ſemine Chriſtum.

i Iſa. c. 38. 11.

Terra promiſſionis eodem præterea modo nominatur ſæpenumero ab Ezechiele K, apud quem etiam *l*, reditus de captivitate Babylonica in Judæam comparatur cum reſurrectione, oſſaque arida cum Judæis Babylone detentis, vexatiſque. Præſtabat ea terra ceteris regionibus copia, bonitateque neceſſariorum ad vitam, ſalubritate cœli, ac ſoli; ibi cultores habitabant Dei viventis: extra, homines degebant, qui, quod mortuos colerent, mortui & ipſi rectius apellandi, quam vivi, viventeſque. *Similes* enim fiunt, *qui faciunt ea; & omnes qui confidunt in eis* m: proprium autem epithetum Dei, *vivum* dici, *n immortalem* o, *viventem* p. Deniq; inſtituti erant illi homines ab eadem vera religione, vitæ ſpem æternæ habere, atq; reſurrectionis: propter quam cauſſam appellabatur Deus Abraham, Iſaac, Jacob, non *mortuorum*, ut ratiocinatus Chriſtus *q*, ſed *viventium*. Quin etiam putaverim, generaliter omnem terram, quæ incolatur ab omnibus *viventium* vocari poſſe, itaq; Davidem noſtrum accepiſſe, dum doloſo, ac maledico minatur: *Propterea r Deus deſtruet te in finem; evellet, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viventium*. Nec enim ſoli loquitur habitatori Judęæ, aut Palæſtinæ: nec aliud forſitan Iſaias *ſ* voluit prædicendo, quòd abſcinderetur Chriſtus *de terra viventium*, quam quod aliter Latini dicunt, ut de vivis tolleretur. Eadem poſſumus affirmare de *regione vivorum*, quam alio David Pſalmo *t* nominat, ut vel in genere vitæ hominum habitationem ſignificet, vel Hebræorum regionem, in qua placiturum ille ſe Deo canebat, nempè ut ubicumque, aut ibi magis propriè. Quem præterea ſenſum illud continet *u*: *Tu es ſpes mea, portio mea in terra viventium*: ideſt, ut explicat Chryſoſt. *x*, in patria mea, ad quam celebrandi cultus divini gratia redire cupiebat. Nec ideò tamen Chryſoſt. negaret, hunc, quod Vatablus facit, & ſimiles locos, quam dixi communem eſſe ſententiam, potiore multò ratione à ſcriptoribus etiam ipſis aliquando intellectos de Beatorum domicilio, non de iſta dumtaxat habitabili, aut Judæorum propria terra. Ambroſius *y* differens cum præ-

K c. 26. 20. c. 32. 23. 24. 27.
l c. 37. 1. & ſeqq.
Terra promiſſionis.
m Pſ. 113. 8. vel 6. Pſ. 134. 18.
n Pſ. 41. 3.
o 1. Tim. 1. 17.
p Heb. 10. 31. c. 12. 22.
q Mar. 22. 32.
r Pſ. 51. 7.
ſ c. 53. 8.
t Pſ. 114. ul.
Phraſes ſcripturæ.
u Pſ. 141. 6.
x ibid.
y in Pſ. 36. v. 9. 3.

præſenti de illo Pſalmi trigeſimiſexti *a*, *Suſtinentes Do*- A *minum*, *ipſi hæreditabunt terram*, appellat *cœleſtem terram*, quæ fructum, cœleſtibus ferat, & bona Domini ſine ullo labore fructificet, in qua juſtorum diuturna poſſeſſio, & piæ mentis hæreditas ſit. Ait quoque illam terram, quam adhuc vocat intelligibilem paradiſi, non præterire, in eaque eſſe, qui Domini verba conſervant.

Hoc adeò Hieron. *b* aſſeverat, ſcribens Dardano, ut neq; acceptioni *terræ viventium* pro materiali externa terra, quam calcant homines, relinquere locum videatur; hanc eſſe terram à mitibus poſſidendum *c*, (quia clementarem fortes, violenti, ad bella promptiſſimi, ſibi comparant,) *terram deſiderabilem* d, δεκτήν: in ea appariturum *locum fluviorum*, *rivos latiſſimos*, *& patentes* e: *glorioſa dicta* eſſe de illa *f*: viſitari quotidie à Deo, inebriari, &c. *g* qui operetur eam, impleri panibus *h*: iſtam viſibilem viros ſanctos non habitare, ſed ut accolas, & peregrinos per eam peregrinari *i*, qui nec veſtigium quidem pedis in planè poſſideant, *K*, ſed expectent fundamentum habentem civitatem, cujus artifex, & creator Deus *l*; quærantque patriam meliorem, ideſt, cœ- B leſtem, *montem Sion*, *civitatem Dei viventis*, *Jeruſalem cœleſtem*, *& multorum millium Angelorum frequentiam*, *& Eccleſiam primitivorum*, *qui ſcripti ſunt in cœlis* m. Poſtea demonſtrat anguſtias Terræ promiſſionis ſecundùm longitudinem, latitudinemque, provocans ad libros Joſue, ac Judicum, ut non ſit quod Judæus glorietur, & jactet, ac Synagogæ illas anguſtias Eccleſiæ latitudinis præferat, quum nec, ſi occidentem tantum ſequatur litteram, & non ſpiritum vivificantem *n*, oſtendere poſſit Terram repromiſſionis lacte & melle manantem *o*, Tandem *terram confeſſionis*, *terramque viventium*, ideſt, Eccleſiam, quæ ſuos deducit in vitam æternam, terræ, veprium præfert, nimirum Synagogæ. Idem Hieron. alibi *p*, *terram viventium* terræ opponit mortuorum, prout *infernum* ſignificat ipſum Damnatorum locum. Intelligit præterea *q*, per *bona terræ* illa vera, & perpetua quæ proponit & in ſe continet Eccleſia, ſibi vir ſapiens, cui Dominus incerta & obſcura ſuæ ſapientiæ revelarat *r*, ſpe futurorum promiſit, quum hoc quod tractamus, dixit.

Non prorſus negaret Hieron, primo ſimpliciori, li- C cèt non præcipuo, ac meliore ſenſu, locutum hic David etiam de terra Judæa quum titulus Pſalmi, *priuſquam liniretur*, ut oſtendimus, demonſtret de Davide ſermonem in eo eſſe antequam rex eſſet. Quo circa videri poteſt idem Doctor *ſ*, quum Dardano ſcribebat, non attendiſſe ad illum titulum, & ad totius Pſalmi argumentum. At enim, quando hæc Davidis cantabat in Spiritu, in terra repromiſſionis fuiſſe, & non ſolùm in Judææ finibus moratum, ſed & multarum in circuitu nationum victorem extitiſſe, quæ à torrente Ægypti, qui eſt Rhinocoruræ, uſque ad Euphratem fluvium tendebantur. Si certum eſſet Commentarios Hieron. eſſe in Pſalmos, qui nomen illius gerunt, revocaremus ei in memoriam, quod ibi docet, titulum indicare unctionem ſecundam, quæ facta eſt in Hebron *t*. Ante iſtam, immò & non niſi poſt tertiam tàm latè non dominabatur David, quàm ſcribit ipſe ad Dardanum.

Ergò *terram viventium* hanc quidem, in qua morta- D les vivebant, cum Nicephoro, & Euthymio: tùm verò Judæam, & in ea locum ſacrum tabernaculi, ſed ſimul ſublimiore quadam intelligentia ſedem Beatorum David deſignare voluit, nempe cœlum. Ad captum noſtrum ſic appellari nomine *terræ* cœlum, Nyſſenus *u* docet, quando mitibus *poſſeſſio terræ* promittitur *x*. Veriſimile preterea alluſive Chriſtum ad terram primiſſionis, velut ad cœleſtis domicilii typum. Eadem ratione terram in ea beatitudine acceperunt Hieron. *y*, Chromatius *z*, Origenes *a*, Baſilius *b*, Cyrillus *c* Alexandrinus, Athanaſius *d*, opponens terræ ob maledictionem ſpinas proferenti Euſebius *e*.

Nec deſunt, ut omittam exponentes corpus, aut ſubjectum rationi, aut poſt reſurrectionem immortale, qui terram quoque iſtam aſpectabilem interpretentur, quæ peracto judicio induet formam quamdam, ſtatumve incorruptionis, ita ut non mortuorum, ſicut modo, ſed dici *vivorum terram* poſſit. Placet id Chryſoſt. *f*, Theophylacto *g*, Euthymio *h*. Ad extremum, *terræ viventium* vox cœlo tribuitur, non ſolùm propter analogiam ſoliditatis ſtabilitatiſque perpetuæ, ubi anima per bonum A affectuum tamquam loco ſuo requieſcit, ſicut corpus in terra, ut ait Aug. *i*, & inde cibo ſuo alitur, ſicut corpus ex terra ipſa, eſt requies, & vita ſanctorum; ſed etiam propter corpus Chriſti è terra compactum, ut Ireneus *k* innuit, ac Tertullianus *l*, quod eò tranſtulit, & cujus cohabitatione, ac viſione poſt viſionem Dei beati erimus.

a Ep. 129. b Mat. 5. 4. c Mala. 3. 12. d Iſa. c. 33. 21. e Pſ. 86. 3. f Pſ. 64. 11. g Pr. 12. 11. h Pſ. 38. 13. Pſ. 119. 5. i Act. 57. k Heb. 11. 13. c. ult. l Heb. 12. 22. 23. m 2. Cor. 3. 6. n Deut. 1. o in c. 13. Oſ. p in c. 1. Zach. q Pſ. 58. 8. r Epiſt. 129. Hieronymi expenſa interpretatio. De Commentariis Hieronymi in Pſ. incertę ſententiæ. ſ 2. Reg. 3. 3. Nomen terræ cœlum quomodo appelletur. de Beatitudin. u Mat. 5. 4. x ibid. y ibid. z Hom. 26. in Numeros. a in Pſ. 33. b in c. 58. Iſ. c Ser. de Paſſ. d in Expoſ. Pſalmi. e Ho. 15. in Mat. f in c. 5. Mat. g ibid. h 1. de Ser. Dom. in mon. c. 2. i l. 3. c. 32. l. 5. c. 9. K l. de Carnis reſurrect. c. 41. l Pr. 13. 12.

Verſ. 14.) Expecta Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.

PSalmum concludit apoſtrophe ad ſeipſum vel ad alium, Deum ipſum ſibi loquentem faciens: ut quando teneatur tanto deſiderio viſendæ domus Dei, tùm quæ ipſi dicata eſt ritu ſacro in hac terra, tùm multo magis qua Beatorum ſedes eſt: quum etiam adeò multa divina erga ſe amoris pignora teneat; quia, certam fidem B ac ſpem habeat de divinis percipiendis, ac fruendis bonis, non deficiat in tribulationibus, ſed eas animo forti toleret, certuſque ſit ſpe minimè fruſtrandum, tametſi dilata interim *affligat animum* m, *quia veniens Dominus veniet*, *& non tardabit*, qui moram facere videtur: *Juſtus* n *autem ex fide vivit*, ac ſeipſum ſuſtentans, ac recreans.

Didymus triplicem illum aſſignat exponendi modum, ut ſit præſens oratio, aut Davidis ad ſeipſum, aut ad alium, aut Dei ad illum. Athanaſius ultimum: primum, ſecundumve alii; ſed plures ſecundum; de vetuſtioribus quidem Auctoribus in Pſal. CXIV. *o* alloquitur ſeipſum. *Convertere anima mea in requiem tuam*, *quia Dominus benefecit tibi*, &c. In XXXIX. *p* expectationis fructum ſe adeptum teſtatur: *Expectans expectavi Dominum*, *& intendit mihi*. Hugo Card. *expectandi* verbo fidem notat, ſpem in *confortando*, charitatem in *agendo viriliter*, patientiam in *ſubſtinendo*. Sed propriè ſpectant omnia ad corroborandum conſtantia, & firmitate animum: quod etſi virtutes omnes faciunt, propriè tamen ſpes anchora animæ tuta *q*, fiduciaque cum patientia.

Magna contentione fluctuantem, & periclitantem, C aut obnoxium tali malo, ejuſdem ſententiæ vehementi repetitione corfimat, vociferans, ne cedat, ne deſpondeat, ne deſperet, ut ſuperet, ut vincat, ut reſiſtat, caveat putet non eſſe res humanas curæ Deo. Videat ne ſibi ſine cauſa videatur *juſtificaſſe cor ſuum*, *laviſſeque inter innocentes manus*, quòd pace peccatores fruantur *r*: Non inducat in animum credere reliquiſſe ſe Dominum, & Dominum oblitum ſui *ſ*: ſimul oſtendit, quàm ſit difficile firmiter hærere, atque perſeverare in virtutis exercitio, & in gratia Dei. *Parum erat*, inquit Auguſt. *t*, *ſemel ſuſtinere Dominum*, *niſi repeteret*, *ne fortè ſuſtineret biduo*, *triduo*, *quatriduo*, *& maneret preſſura*, *& tribulatio*: ideo addidit: *viriliter age*: addidit, *& confortetur cor tuum*: & quia ab initio uſque ad finem ſic erit, quod habet ſententia in capite, hoc habet & in fine, hoc eſt, *ſuſtine Dominum*.

Bernardus *u*, triduum, quod plebs Chriſtum ſuſtinuit D in deſerto, ibi ab eo paſta *x*, huc accomodat, viamque trium dierum in egreſſu de Ægypto *y*. Chriſtus ipſe in ejuſmodi certans, ac infinitis propè partibus difficiliore agone, de quo egimus Pſ. XXI. poſt repetitam ter in horto prolixam eamdem orationem, *z*, exclamavit expoſtulans cum Padre, ſe derelictum *a*, ut nobis exemplo meritoque robur animi compararet.

Similis adhortatio in Pſalmo trigeſimo *a Viriliter agite*, *& confortetur cor veſtrum omnes qui ſperatis in Domino*: & illa, quam paullò antè attigi ex Habacuc *b*. *Si moram fecerit*, *expecta eum*, &c. Iram excitat Dei, & furorem accendit ut prudentiſſima fœmina, piiſſimaque Judith dixit *c*, non provocat miſericordiam, ponere tempus miſerationis Domini, & in arbitrium ſuum diem ei conſtituere: quocirca dicendum illi cum lacrymis, ut ſecundùm voluntatem ſuam ſic faciat. Nec minus acriter Saul reprehenſus à Samuele, quod ipſo non expectato ſacrificium obtuliſſet *d*.

Suſtinere Dominum, eſt, ait Auguſtinus *e*, tùm accipere, quando dabit, non tunc exigere, quando vis: ut quum ſuſtinuerit te, ut mutares vitam tuam malam; ſuſtineas illum, ut coronet vitam tuam bonam. Præ- A ceptum Chriſti de petendo, quærendo, pulſando, apud Lucam *a*, hùc ſpectat. *Quicumque quum ſemel pulſaverit*, *indignatur mox*, *ſi non fuerit auditus*: *iſte non eſt*, inquit Chryſologus *b*, *petitor ſupplex*, *ſed eſt imperioſus exactor*. *Expecta Dominum*, &c. *etſi iterum diſtulerit in futurum*, *tu Dominum tuum patienter expecta*. *Sinit uſque etiam ad noctis vigiliam quartam in mari periclitari* c, *ut doceat habere fiduciam Dei*, *& in tentatione fortitudinem*.

Præterea *ſuſtinere Dominum*, docet idem Auguſt. *d* illum, qui tolerat inter juſtos, ac intra Eccleſiam improbos corporali præſentia uſque ad diem Domini, dum colligantur zizania *e*, licèt vita, moribus, corde, voluntate ſeparet ſe ab eorum iniquitate.

Hinc verò comprobat Athanaſius *f*, licitam fugam ſuam, expectando donec definitum moriendi tempus advenerit, aut judex Deus, quod ſibi rectum videatur, conſtituerit: ita ut parati ſimus vel vocante tempore, vel apprehenſi pro Eccleſia uſque ad mortem dimicare. Nemo fructum affert *g*, vel animam poſſidet, niſi *in pa*- B *tientia* h. Qui credit, ei feſtinandum non eſt *i*; nec putare debet Dominum tardare promiſſionem ſuam *k*, expectat Dominus, ut miſereatur noſtri *l*, quia poſt vocationem, in qua prævenit omninò voluntatem, voluntatis liberum expectat conſenſum: quamvis iſte, quando ſequitur, ipſemet debeatur Deo, congruè & efficaciter vocanti, cumque voluntate conſentiente cooperanti. Expectamus Dominum, ut miſereatur, confitendo ipſius eſſe per gratiam ſuam nos prævenire. Sed actus ipſe expectationis, ac ſpei liberè provenit ex priore, auxilio; gratia quo Deum excitando prævenit, & cooperando juvit, ut ille idē exerceretur. Lege Frāciſcū Suarez *m* noſtrum.

Expecta Dominum.] In Pſalterio Ambroſiano ponitur primo loco, *Suſtine Dominum*: ultimò autem, *expecta Dominum*: videlicet ordine inverſo à noſtro. Utrobique tùm Hebr. verbum קוה *kaueech*, tùm Græcum ὑπόμεινον repetitur, ſicut & Chald. סכור *ſevor*. Interpres varietate gaudet. Denotatur, ut dixi, certa fidei attentio, ſpeique, & exacta operis, ut etiam loquitur C Paulus *n*, patientia.

Viriliter age) Id valet Græcum ἀνδρίζου, ſed in Hebræo חזק *chazak*, *viri* notio nulla includitur. Sic tamen etiam *o* alibi tùm hoc, tùm illud aliud Hebræum אמץ *amats*, quòd hic exponitur *confortare*, reddit interpres, & Græcus, & Latinus. Quæ cauſſa eſt, cur quidam quandoque Patres ad *viri* vocabulum attendentes, in his formulis obſervent agendi contentionem roburque, quod viri proprium eſt, nec non ubi vox *viri* exprimitur. Facit id Gregorius *p*, Iſidorus *q*, Chryſoſt. *r*. *Scriptura ſacra*, inquit Gregorius, *viros vocare conſuevit*, *qui vias Domini fortibus non diſſolutis greſſibus ſequuntur*. Affert hunc locum, & ex Proverbiis *ſ*, *O viri*, *ad clamito*; ut confirmet ſententiam Job *t*: *Accinge ſicut vir lumbos tuos*. Pſalmo primo vidimus non eſſe perpetuum, ut *vir* ſexum ſignificet dumtaxat maſculinum. Id etiam Fulgentius *u* aliquot demonſtrat exemplis; inter quæ præſens affert. Habet nonnullum acumen quod aliqui notant, potuiſſe Chriſtum tendentibus in Emmaus ipſa die reſurrectionis ejus, de qua D dubitabant *x*, quamque Jeroſolymis adhùc expectare debuerant *y*, ut non viriliter dicere, quod æquum erat, ſed fœminiliter, quum fœminæ multo conſtantiores fuiſſent in expectando, & credendo.

Poteſt idipſum allato priùs Judith exemplo confirmari, quæ deſperantes viros erexit: cui affine exemplum Debboræ, qua hortante, ac præeunte in bellum Barac exit, aliter ire detreſtans *z*: Matris Machabæorum, quæ fœmineę cogitationi maſculinum animū inſervit *a*. Deniq; etſi non adeò multæ, aliqua tamen reperiri mulier fortis poteſt *b*: Ex oſſe formata eſt Eva: pro illo replevit Deus carnem in Adam *c*, quem & de limo finxerat, ut fortior videatur viro fęmina *d*, & à *viro viraginem* cognominavit, ut idem Fulgentius obſervat. Imperio mihi interdum, ut indulgeam ſubtilia ſectanti magis, quàm ſolida. *viriliter agere*, nihil aliud eſt, quàm, ut Hieronymus interpretatur, *confortari*, & ſynonymum eſt cum *confortari*, *& roborari cor*: Soletque ſcriptura hæc ſimul conjungere, *confortari*, & *viriliter agere* c, maximè verò, quum de virili pugna loquitur.

Ep. 129. Bernardi accommodatio hujus loci. t Ser. 1 de 7. panib. u Ma. 14. 15. x Exod. 3. 18 c. 5. 3. c. 8. 27. y Ma. 26. 35. 42. 44. z c. 27. 7. 46. a v. 25. b c. 2. 3. c c. 8. 23. 17. Piiſſima Judith ſententia. Iram Dei quid potius provocat, quam miſericordiam. d 1. Reg. 15. 13. & ſeq. Suſtinere Dominum quid ſit. e l. 50. Hom. in 11. m Hab. 2. 3. n verſ. 7. o verſ. 2. p Heb. 6. 19. q Pſ. 72. 15. r Iſ. 49. 14. Difficile eſt firmiter hærere atque perſeverare in virtutis exercitio. l in Pſ. 39.

a c. 11. 9. b Serm. 39. c Mat. 14. d 3 contr. lit. Pet. c 3. e Mat. 13. 30. f Apol pro fuga ſua. Licitam fugam unde comprobet Athanaſius. g Luc. 8. 15. h Infra 21. 19. i Iſ. 28. 16. k 1. Pet. 39. l Iſa. 30. 18. m l. 3. de Auxiliis c. 15. n. 11. 12. n Rom. 2. 7. o Deu. 31. 6. Joſ 1. 18. 1. Par. 19. 13. c. 23. 13. c. 28. 20. l. 2. 32. 7. Pſ. 30. 25. p 28. Mor. c. 4. vel 7. q in Gen. c. 20. r Hom. ult. in 1. ad Cor. ſ c. 8. 4. Vir non ſemper ſexum denotat maſculinū. t c. 38. 3. u Ep. 3. c. 5. Acuminis obſervatio. x Luc. 24. 13. & ſeq. y ibid. 49. Fœminæ quæ viri nomen meruerint. z Jud. 4. 78. a 2. Mach. 7. 31. b Prov. 31. 10. c Gen. 2. Fœmina cur viro fortior videri poſsit. d ibid. Viriliter agere quid ſit. e Locis citatis 1. Mach. 2. 64. Cor. 16. 13.

PSALMUS VIGESIMUS SEPTIMUS.

Pſalmus ideſt David.

1 AD te Domine clamabo, Deus meus ne ſileas à me; ne quando taceas à me: & aſſimilabor deſcendentibus in lacum.
2 Exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad te: dum extollo manus meas ad templum ſanctum tuum.
3 Ne ſimul trahas me cum peccatoribus: & cum orantibus iniquitatem ne perdas me.
Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum.
4 Da illis ſecundùm opera eorum, & ſecundum nequitiam adinventionum ipſorum.
Secundùm opera manuum eorum tribue illis: redde retributionem eorum ipſis.
5 Quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opera manuum ejus deſtrues illos, & non ædificabis eos.
6 Benedictus Dominus: quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ.
7 Dominus adjutor meus, & protector meus: in ipſo ſperavit cor meum, & adjutus ſum.
Et refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor ei.
8 Dominus fortitudo plebis ſuæ: & protector ſalvationum Chriſti ſui eſt.
9 Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ: & rege eos, & extolle illos uſque in æternum.

TITULUS.

Verſ. 1.) Pſalmus ipſi David.

Ad te Domine clamabo Deus meus; ne ſileas à me: ne quando taceas à me: & aſſimilabor deſcendentibus in lacum.

TItulus nil aliud indicat niſi Davidem auctorem Pſalmi, aut de ſe etiam ipſo in eo loquentem, prout in ſimilibus aliorum præcedentium Pſalmorum titulis diximus. Auguſtinus legit: *Pſalmus David*. In emendatis Bibliis τοῦ Δαυὶδ, *Davidis*.

ARGUMENTUM.

EXiſtimant Baſilius, Theodoretus, Nicephorus, Euthymius, in hoc Pſalmo agi de Davide Saulis perſecutionem fugiente, quum ipſum Sauli prodere conarentur qui videbantur amici: tamen convenire poſſe cunctis juſtis, qui in hujuſmodi calamitantes inciderint. Addunt recentiores, ut Janſenius, Davidem ſimul pro ſalute, ac liberatione jam adepta gratias agere, atque orare pro communi bono populi. Liberationem verò Vatablus nominatim affirmat eam, quæ fuit à Siba *f* jam poſt Abſalonem extinctum. Malunt alii *g*, dum fugeret filium, aſcendendo clivum Olivarum *h*. Quidam *i*. quando evaſit Jeſbibenob eum conantem percutere, & interficere *k*. Cajetanus, materiam aſſerit recurſum ad Deum, ne reſponſum neget ob crimen nepotum Joab, & Abiſai, qui proditoriè occiderant Abner *l*, ſicut minore de cauſſa, h. e. ob mel guſtatum à Jonatha, negaverat Sauli *m*.

f 2. Reg. 20. g Polengius, Lyran. h ibid. c. 15. i Agellius. K ſ. 21. 17. l 2. Reg. c. 3. 17. & ſeqq. m 1. Reg. 14. 26. 27.